

299.

1238 d. 15 Jan.

Lateran.

Påfv. GREGORIUS IX:s Bref till Ärke-Biskoparne i Lund och Upsala, rörande Biskopens (STENAR) i Skara beviljade afsked från Embetet för sjukdoms och ålderdoms skull, och om ett anständigt underhåll för honom af Biskopsgodsen.

K. c. 176.

Gregorius Papa IX. Lundensi et Upsalensi Archiepiscopis.

Præsentatæ nobis litteræ Venerabilis Fratris nostri . . Scarensis Episcopi continebant, quod cum idem Episcopus laboribus & ætate confractus in senium iam declinet, tanta corporis & animi infirmitate grauatur, quod impotens penitus est effectus ad exequendum officium Pastorale. Quare nobis humiliter supplicauit, vt ipsum ab onere sollicitudinis Pastoralis absolueretur curaremus, facientes ei, ne in opprobrium Episcopalis dignitatis mendicare cogatur, de bonis Episcopalibus, vnde congrue sustentari valeat prouideri. Quocirca mandamus quod si est ita, cessionem ipsius recipiatis vice nostra, & de redditibus Episcopalibus auctoritate Apostolica prouideatis eisdem, vnde competenter valeat sustentari, ea temperanti æquitate seruata, ut sibi competens vitæ conferatis subsidium, & tribulationem Scarensis Ecclesiæ minime infligatis. Datum Laterani XVIII. Calendas Februarij Anno vndecimo.

300.

1238.

Konung ERIC ERICSSONS stadfästelse å en förening mellan Munkarne i Nydala och invånarne i Östbo, hvarigenom de förre erhöilo hela Nutahults skogen, med rättighet att till mulbete, ållonskog, vedhygge, bitägt och jagt, äfven begagna Flata skogen, som i öfrigt helt och hållet tillföll häradet.

A. 3. x. 1: 7.

E. dei gratia sueorum rex. huius nominis tercius. christi fidelibus tam presentibus quam post futuris omnibus salutem in perpetuum. Notificamus uniuersis quod compositio pacis & diuisio siluarum flatu uidelicet et mutaholt que facta est a monachis noueuallis & prouincialibus de øsbo. anno incarnationis domini. M°.CC°.XXX .VIII°. in hunc modum. scilicet ut silua que dicitur mutaholt cum omnibus sibi adiacentibus monachorum sit perpetua atque firma possessio. & silua que flata nominatur ad prouinciam totaliter permaneat. ita tamen ut sine monachis non uendatur. & salua eis permaneat libertas adeundi siluam suprascriptam pro diuersis utilitatibus. id est pro pecoribus pascendis pro porcibus inpinguandis. pro lignis scindendis. pro apibus inquirendis. & pro uenationibus. a nobis auctoritate regia con-

firmatur. facta est hec diuisio in diebus domini laurencij episcopi lincopensis. & domini christmanni abbatis noueuallis. Affuerunt huic compositioni ex parte monachorum personaliter. cellerarius ipsorum. petrus. fratres laicj. Wikingus & svartý. & de prouincialibus. Bero fylus Gøta prolocutor eorum. Johannes filius attonis. Sýbbý de uellisten. Røricus de uernamo. Ani de nubýli. Oddi de vesholt. Vbbi de røsbýerg. Dominus haquinus decanus de kerit. Dominus Gøtý presbiter de uernamo. Isti personaliter aderant & ex parte omnium acclamauerunt. & dextras dederunt. ut ista compositio firma & inconuulsa perpetuo debeat permanere. & ne in posterum hoc pactum aliquis irritare presumat. nos presencium testimonio & nostri sigilli munimine roboramus.

Sigillen, hängande i linnetrådar N:o 1 något skadadt; N:o 2 bortfallet;
N:o 3 mycket skadadt.

301.

1238 d 3 Sept.

Kaniken TYCHE DJÄKNS Testamente till kyrkor och kloster i Lund, till Prestmän och andra personer, på silfver, penningar, böcker, husgeråd, klädespersedlar, m. m. samt på et hemman i Köpinge i Ingelstads härad till Kanikebordet i Lund.

B. 1: 225.

Testamentum domini tychonis diegn canonici cuius anniuersarium tenebitur de vna curia in køpinge.

In nomine patris & filii & spiritus sancti amen Ego THUCO dictus diacn canonicus Lundensis. licet corpore debilis mente tamen sanus. considerans. quod ea que in tempore fiunt. cum tempore labuntur. jdeo anime mee preuidere intendo. & de bonis mihi a deo collatis testamentum meum ordino & condo in hunc modum. primo lego ecclesie beati laurencij. vbi meam eligo sepulturam. vnam marcam argenti. jtem ecclesie beati clementis ar(usiensi) III solidos gross. jtem ecclesie køpingh. solidum gross. sacerdoti dimidium solidum ministro ibidem II oras denariorum scanensium. jtem fratribus predicatorum lundis solidum gross. ad pictanciam. minoribus ibidem solidum gross. pro edificiis ecclesie. jtem ecclesie beati clementis ibidem. tantum Ecclesie beati jacobi. tantum Ecclesie beati pauli tantum sacerdoti solidum gross. ministro ibidem II oras denariorum scanensium jtem pro anniuersario meo annuatim in choro lundensi tenendo. curiammeam quam emj jn køpingh jn ingelstetheret cum omnibus attinenciis suis. dilectis confratribus meis canonicis lundensibus scoto & ad manus assigno. jta quod redditus ex ea prouenientes. videlicet tres marcas denariorum taliter diuidentur. videlicet. II oras denariorum canonicis pro offerendo. jtem canonicis residentibus & non residentibus. qui vigiliis & misse interfuerint XIII oras denariorum vicariis qui eciam vigiliis & misse interfuerint. III oras denariorum jtem pauperibus scolariibus chorum frequentantibus dimidiam marcam & pulsantibus in turri oram denarii jtem domino meo episcopo.